



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quibus modis fieri possit professio tacita religionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

antibus (si de jure communi loquamur) certum est, prout sumitur ex *c. porreclum 23. h. t.* & ex communibus principiis de contractibus, quibus nulla jura, quoad professionem religiosam, contraria sunt, quae enim ad professionem scripturam requirunt, requirunt hanc, non tam, ut valida sit professio, quam ut authenticè de ea constet, & probari efficaciter ea possit: ob quam causam etiam coram testibus communiter ea fieri solet, & per verba à regula, aut ab ordine praescripta, vel consueta, ita ut valida ea sit futura, etiamsi tris substantialia vota religionis in tali formula non exprimantur, cum in eo, quod exprimitur, juxta religionis talis mentem alia contineantur, quae sicuti potest sub uno expresso comprehendere alia, ita potest etiam ad valorem professionis certas quasdam requirere circumstantias, sine quibus nulla in tali religione erit professio, cum ea quae modo diximus, tantum de jure communi intelligenda sint.

Potest autem professio expressa etiam fieri per procuratorem (nisi ordinis regula contrarium statuatur) cum nullibi de jure communi reperitur excepta religiosa professio, quod minus per procuratorem fieri possit, modò procurator talis speciale mandatum habeat ad profitendum, & quidem in determinata religione, loco principalis, ad cavendas multas inconvenientias, & per se ipsam talis Procurator, principalis sui nomine professionem hanc faciat (nisi specialiter ipsi concessum esset substituere) cum in tali casu videatur electa industria personae, ac eo tempore, quo facit professionem Procurator, hujus potestas non

fuerit revocata (casu enim quo revocata fuisset hæc procuratoris potestas à principali, principalis hujus consensus non haberetur, quando sit professio, quod fieri non potest) neque gravi metu constitutio procuratoris sit extorta, cum non minus constitutio talis taliter extorta nulla esset, quam esset ipsa professio tali metu extorta.

Et quamvis etiam fieri possit expressa professio, sub conditione, tam de praesenti, & praeterito, quam de futuro, ita ut prius valida non sit professio, quam conditio evenierit, & hac eveniente valida sit futura, modò suum consensus non revocaverit, ante conditionis eventum, qui sub conditione taliter professus est, attendi tamen debet, ut conditio adjecta contraria non sit statui religioso, quem quis sub conditione profiteretur, prout in simili de matrimonio casuali constituitur, à quo ad professionem religiosam, tanquam matrimonium spirituale, ducitur paritas.

§. III.


Quibus modis fieri possit professio tacita religionis?

TRes communiter modi referuntur, quibus de jure antiquo decretalium fieri poterat tacita professio. 1. est, si quis sciens, & sponte habitum proprium professorum, parenter distinctum ab habitu novitiorum, suscepit, & per triduum ante annum novitiatus absolutum, post pubertatis annos acquisitos portavit, sive intra, sive extra monasterium cum licentia Praelati, & sub ejus obedientia *c. ad nostram 8. h. t. & c. Is qui, eodem in 6. tridui scilicet gestatio-*

Dddd 2

dem

nem requirente jure, si nondum annum novitiatus absolverit ad intentionem deferentis colligendam, quo scilicet animo habitum proprium professorum assumpserit. Secundus modus est, si quis anno integro, eoque continuo habitum religionis portavit, in quo nulla patens, seu manifesta distinctio est inter professorum, & novitiorum habitum, prout colligitur ex c. ex parte 22. h. 2. & c. 1. §. quod si eodem in 6. & Clement. eos qui. 2. eodem. præsumente scilicet jure tacite hanc professionem, contra quam protestatus nunquam fuit, dum habitum illum gestavit. Tertius denique modus est, si quis habitum professionis gesserit, & in eo actum professorum proprium exerceat, prout sumitur ex c. vidua 4. h. 2. si tamen fiat auctoritate, & consensu illius scientis, & patientis ea fieri) qui potest ad professionem admittere; & exercens actum talem sponte eum exerceat, ac cum proposito positivo per actum talem, quem scit de jure communi, aut ex statuto ordinis solis professis competere, & ad tacitam professionem sufficere, profitendi: & ejus denique ætatis sit, quæ requiritur ad validam professionem, annūque novitiatus compleverit prout requirit de jure novo Tridentinum, quod quamvis professiones tacitas non sustulerit, validæ tamen illæ non sunt post hoc Concilium, nisi annum novitiatus compleverit aliquis, quod de jure antiquo non requirebatur.



De conditionibus requisitis ad legitimam professionem.

Primo requiritur legitima ætas, scilicet decimus sextus expletus (juxta jure Tridentini, quod hodie obiter debet) ita ut ante hunc annum ætatum nulla professio, sive in virorum, sive in mulierum religione emissæ, sit tacita, sive expressa sit, valet, prout statuit Tridentinum sess. 25. c. 1. (de regular.) neque malitia suppleat defectum ætatis, prout in matrimonio carnali posse ex c. De illis. 9. & c. frater de spons. impub. patet, quin imò ex peculiaribus ordinum statutis major ætatem nonnunquam etas ad validam professionem requiri potest, cum Tridentinum non prohibeat majorem ætatem requiri, sed velit tantum ante decimum sextum ætatis annum expletum, professionem non fieri.

Secundo requiritur, ut spontanea liberâ voluntate sit emissæ (saltem in clericali) quæ ex coactione, metu, metu gravi, cadente in virum consummatione, injuste ad extorquendam professionem incusso, extorta fuit (merito enim magis libertas requiritur ad immutabilem statum arripiendum, & quamvis pro libertate sufficiente sit præsumptio, nulli contrarium probet, qui metum talem, aut actionem præterdit, potest tamen in monasterium v. g. probationes suas præferre, quibus probet spontaneam non fuisse professionem.

Tertio requiritur, ut acceptetur nomine religionis, expressè, vel tacite.